DE OBSERVANTIA FESTORUM QUÆSTIONES THEOLOGICO-MORALES...



DE OBSERVANTIA FESTORUM

QUÆSTIONES THEOLOGICO-MORALES FACTORUMQUE SPECIES

HOC ANNO BISSEXTILI MDCCCLXXII

JUSSU ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.

S. hujus Ecclesiae Tarvisinae Episcopi

PROPONUNTUR ENODANDAE

GONGR. PRIMA

Quæst. I. *Quale sit tertium Decalogi præceptum? Num idem secundum literam accipi debeat?*

2. *Utrum præceptum olim positum santificandi diem Sabbati, per Novi Testamenti œconomiam ad diem Dominicum translatum fuerit?*

3. *Quinam festos dies observare teneantur? Quis vero sit præcepti ejusdem finis, quænam obbligatio?*

CASUS PRIMUS

Albertus abundantius existens æmulator novarum doctrinarum quum videret vicanos, maxime vero patresfamilias, Parochi hortationibus permotos summa cum religione dies festos observare contra suimetipsius vota et conatus, hanc iniit rationem ad removendos animos a sancto proposito: nempe per insinuationem dicit sanctam esse religionem quam profitemur, jugum sane suave et onus leve Evangelium Christi; partem autem tertii præcepti quippe quæ cæremonialis esset, abrogatam fuisse; moralem vero partem adeoque nunquam abrogandam, qua Dei cultus præscribitur, nulla ratione otium vitiorum patrem imperare: hinc ille efficit plus laudis mereri illos qui officiis pietatis expletis tempus reliquum in operibus collocant, quam qui otio indulgent.

Alberti insinuationes theologus convellat.

CASUS SECUNDUS

Johannes pater, si quisquam alius, infelicissimus, duos habet filios modo adultos; Annam oculis inde a nativitate captam, præterea

a 1872 ...

duobus abhinc annis omnino etiam surdam ex morbo atrocissimo; Dominicum acie mentis omnino hebetata. Pater dolet liberorum calamitatem, sed et familiaris rei detrimenta, quæ quantum potest levare conatur, extenuatis impensis pro illorum custodia necessariis. Itaque et Annam diebus festis domi commorari cogit, denegato comite ad ecclesiam, et Dominicum operis versari vult ne domo elapsus in pericula se conjiciat.

An violati praecepti in causa sit Joannes?

CASUS TERTIUS

Camillus confessarius nuper adprobatus, audiens confessiones quae per Paschale tempus fiunt, comperit multos, puta artifices. operarios, milites, familiares præceptum tertium non observasse; quosdam ex iis etiam opera servilia fecisse; quosdam autem Deum raro cogitasse quum templi limen transiliebant, verum nedum menses sed et annos orare prorsus omisisse. Dubitat Camillus utrum censendi sint a transgressione præcepti ex omni parte puri, etiam qui, cum haberent certum motivum, a Sacro abfuerunt et opera servilia fecerunt, et Deum interea nec cogitarunt.

Theologus Camillo declaret, an excusatio ab observantia Festorum excuset semper etiam a quovis alio religionis actu.

CONGR. SECUNDA

Quæst 1. *Num præceptum sanctificandi festum ad plura obliget? Quæ et recenseantur.*

2. *An fideles teneantur interesse Missæ parochiali et concionem audire?*

3. *An detur obligatio adsistendi officio vespertino?*

CASUS PRIMUS

Pomponius vir opulentus et inanis gloriæ cupidus nullam non captat occasionem præbendi ruriculis, inter quos habet domicilium, materiem de se ipso sermocinandi; cumque id præclare gestis consequi non valeat, aliquo saltem facinore nititur: quapropter nescio qua festivitate votiva recurrente in pagi finibus, auctoritatem, quam opibus sibi quæsitam existimat, festo tum usu tum religione commendato tollendo adhibet; et quod in animum induxit perfecturus, con-

silia, promissiones, minas proponit, et facultatem obtinet ut mercatores tabernas, artifices officinas, ludi magister scholas reseratas præbeant; custodes viarum publicarum ut iis tuendis pro officii ratione attendant; ut omnes functionibus ecclesiasticis abstineant.

Utrum quævis Pomponii jussio contineat præcepti transgressionem?

CASUS SECUNDUS

Lucas et Marcus, cum in parochorum conventu de festis diebus disceptaretur, in has sententias oppositas abeunt. Lucas arbitratur omnes fideles sive mutuæ ædificationis officio, sive necessitate instructionis et exhortationis ad rite et recte obeunda omnia non ficti Christiani munera, teneri ad audiendum diebus festis verbum Dei; adeoque hominem id omittentem per unum mensem sine causa justa non esse a culpa gravi vacuum: Marcus vero omnia hæc quidem laudat, sed non esse jure pari præcepta, nec publice proponenda, contendit; adeoque ex his controversia confirmatur.

Theologus litem componat.

CASUS TERTIUS

Dionysius civis probus urbe relicta in parœcia rurali sedem fixit, ubi magnam existimationem nactus est eo vel nomine quod homo timens Deum et beneficus habeatur, sed nunquam tamen fit ut ipse vel unus familiarium sive propinquorum sacris ritibus qui post meridiem peraguntur, intersit: ad confessarium vero admonentem de vitanda parrochianorum offensione respondit: hoc tale nunquam sibi culpæ tributum a presbyteris urbanis; cumque ille inculcaret vim quæ legi fit ex pagi consuetudine, Dionysius tacet, animo habens consilium alios rogare.

Theologus expendat Dionysii effata et sententiam ferat.

CONGR. TERTIA

Quaest. 1. *Quomodo præceptum audiendi Missam impleri debeat?*

2. *Quæ præsentia corporis, quæque mentis attentio ad hoc poscatur?*

3. *An loci et temporis ratio servari debeat?*

622

CASUS PRIMUS

Gilbertus ex illorum numero qui fidem etiamsi non negaverint, ad illius tamen norman vitam non informant, uxori die festo ecclesiam adeunti se addit comitem ne ipsi displiceat, item in Ecclesiæ moratur ad finem usque Missæ ratione societatis; sed interim nihil ille de præcepto cogitat, nullumque aliud christianæ pietatis indicium ostendit, quam pilei depositionem in ecclesiæ aditu, et nudatum caput deinceps.

An Gilbertus ejusque imitatores satis præcepto sacrum audiendi faciant?

CASUS SECUNDUS

Vitalis in se recepit curam parœciæ, cuius templum factum est sedes relaxationis; nam ibi homines de cunctis negotiis disceptant, mulieres vero de nugis blaterant. pueri ludunt, adolescentes alii in limine perstant, alii limen transgressi terga altari obvertunt, et nutus et risus edunt et excitant in puellis; pauci silentium servant, paucissimi orationi vacant; tantum silentium aliquod ingruit cum a sacerdote Christi Corpus in Missa elevatur, vel vespertino tempore proponitur ad plebem lustrandam.

Quam normam sibi confessiones audienti vel concionanti Vitalis proponat, quosque violati præcepti arguat?

CASUS TERTIUS

Blasius Andreas et Stephanus quum vesperarum cantu defuncti domum remearent, pervigilio Natalis Domini, quod anno proxime elapso in diem Dominicum incidit, inter se disceptabant. Ajebat Blasius, casum sane mirabilem! qui hoc mane Missam non audivisset, facultatem habet satis præcepto faciendi si Missam audiverit altera noctis hora decantandam in finitima parœcia. Minime, reponit Andreas Ecclesiæ cantor, quippe quia hæc Missa a dimidia nocte ad secundam horam noctis retracta pertineat ad diem Natalem, adeoque valeat pro festo crastino, non pro Dominico fere exacto: immo, sententiam repentinam ingerens, ait Stephanus, nec pro crastino nec pro hodierno valet; nam Missa pro lege ecclesiastica ad functiones matutinas spectat, illa vero quæ media nocte legitur nonnisi ad pietatem audienda est. Ita disputantibus occurrit Parochus, et hunc protinus Andreas controversiæ arbitrum constituit.

Parochus judicium ferat.

CONGR. QUARTA

Quæst. 1. *An dentur causæ excusantes a Missæ auditione?*
2. *Quæ impotentia requiritur et sufficit ad excusandum?*
3. *An etiam charitas habenda sit causa excusans, et quando?*

CASUS PRIMUS

Euphemia virgo valde pia et pudibunda post preces instantissimas et maturam deliberationem voluntati parentum obsecundat, initque sponsalia cum viro, quem velut illi accomodatum parentes proposuerant. Attamen cum ante nuptias audivisset suimetipsius nomen ter in Ecclesia coram cætu enunciandum esse, exhorruit, et tantopere verecundia superata est, ut non obstante Ecclesiæ præcepto iis diebus ad nomen proclamandum decretis, sacro audiendo supersederit.

An causa Euphemiæ sit excusatio valida?

CASUS SECUNDUS

Theobaldus homo nobilis atque dives habet villam mille passuum remotam ab Ecclesia parœciæ; habet et Oratorium villæ attiguum, at non sacerdotem qui diebus festis sacrum faciat. Quid igitur Theobaldus diebus praecepto comprehensis? Quum cœlum serenum est et aer lenis se confert ad Ecclesiam Sacrum auditum, cum vero pluit domi manet, uxorique affecta jam valetudine saepe exoranti ut per ipsum sibi liceat curru ad officium religionis adimplendum ferri, respondet: benigna mater Ecclesia non id abs te postulat, siquidem nihil illa vult quod habeat injunctum incommodum.

Quod judicium ferendum de ratione propositi a Theobaldo suscepti?

CASUS TERTIUS

Maura quæ propter grave morbum filii pueri, totius mensis spatium ab ejus lectulo nunquam discessit, quum videret illum jam convalescere, eidem significat sese die crastina templum adituram esse audiendæ Missæ gratia, sororculam interim ipsum solaturam præsentia sua. Hæc ubi audit Lucius puer turbatur, et precibus matrem die toto et mane diei alterius fatigat, adeo ut mater ne filium contristet, domi maneat omittatque audire sacrum.

An bonam causam Sacri omittendi Maura habuerit?

624

CONGR. QUINTA

Quæst. 1. *An aliquando ab audiendo Sacro excusare possit utilitas?*
2. *Num etiam damni periculum excusare possit, et quando id contingat?*
3. *Quid faciendum in dubio an incommodum ex Sacri auditione oriturum sit satis grave?*

CASUS PRIMUS

Demetrius venator, et Orestes auceps die Dominico ante auroram surgunt et alter sclopo alter retibus arreptis abeunt prædatum cum proposito remeandi sub tempus Missæ postremæ. Ast sors tam optata iis contingit, ut quam plurimæ aviculæ iis occursent; adeoque ne utilitatem tam raro oblatam dimittant, jam constituto tempori addunt illud etiam in quo Missa erat audienda.

An hæc talis omissio sit conjuncta cum culpa necne?

CASUS SECUNDUS

Rufinus mercator fortunis mediocribus cum videat per dies Dominicos reseratas nec emptoribus carere officinas multorum qui eamdem ac ipse artem exercent, animo habet eorum exempla sequi, ad impediendum quominus ad alienas officinas qui suam hucusque frequentarunt, revocentur: cumque per pigritiam ei non liceat multo mane surgere ad sacrum audiendum, aliquando contingit, ut negotia quam plura quæ ipsum onerant tempus audiendæ Missæ adimant. Uxor ipsa ne Rufini mariti zelotypi suspiciones moveat, vel amara verba excitet, omittit audire Missam quum illo comite uti non potest.

An hæ omnes causæ, vel ipsa hora intempestiva sint æqui bonique faciendæ?

CASUS TERTIUS

Valeria his verbis Zenobiam ejus amicam in vicinia habitantem, natura tristem fæminam, alloquitur: Eja age, festina induere vestes, nam veni te deductura ad audiendum Sacrum, magnum quippe Festum hodie celebratur. Ad hæc illa respondit: sum viribus imbecillis, paucis abhinc diebus me febris reliquit, caput habeo gravatum, deliquium pati facile possum. Quin imo, illa subiecit, purus aer valde proderit; utcumque res se habuerit ego tibi ero præsto; noli ti-

mere. At quum intelligeret se talia suadentem oleum operamque perdere, pedem refert; ast in egressu audit campanulæ sonitum jamdudum desitum fuisse: quod cum ei fecisset conjecturam, se nonnisi Missa forte magna ex parte perlecta ædem ingressuram, in consilium venit vel ipsam manendi domi.

An utraque sit in eadem causa aeque excusatione digna?

CONGR. SEXTA

Quæst. 1. *An obligatio vacandi die festo ab operibus sit etiam hominis naturæ consentanea?*

2. *Quodnam proprie operum genus sit diebus festis prohibitum?*

3. *Ex quo principio desumenda est operis servilis ratio? num ab intentione, lucro, corporis defatigatione, an aliunde?*

CASUS PRIMUS

Tiburtius se immunem facit ab obligatione abstinendi diebus festis ab operibus servilibus, adductus ratione legem istiusmodi corporis saluti prospicere, se autem tanta valetudine et robore pollere, ut nulla sibi sit otii ad vires reficiendas necessitas; quinimo ad bonam suam valetudinem conferre laborem magis quam requiem; concludit ergo legem, deficiente fine, non obligare. Insuper asserit et in aliam utilitatem cedere laborem; etenim per illum subtracta occasione indulgendi cupiditatibus, adversus tentationes et pericula ipse præmunitur. Proinde audita Missa, reliquo ferme tempore mechanicis artibus vacat.

Allatæ excusationes possunt admitti? Quid illi respondendum?

CASUS SECUNDUS

Matthæus paterfamilias quum sacramentalem instituit confessionem, facili gressu tertium Decalogi præceptum transilit. Missæ siquidem et sacris functionibus interest, et de operibus servilibus ne quidem cogitat otii perpetui amicus. Attamen cum plures sint ei filii adhuc sub sua potestate, ne unus quidem est qui, jubente patre, in quopiam negotio die festo non versetur. Primogenitus tabernam diversoriam exercet, quæ etiam hora divinorum officiorum omnibus patescit; alter tabernam tonstrinam a mane ad vesperam; tertius linteariam quæ clauditur sub meridiem; quartus sutrinam in qua per

626

plures horas conficiuntur vestes; quintus præest moletrinis. quæ nec festis diebus quiescunt: ultimus per totum fere diem Dominicum calculis et rationibus hebdomadariis totius familiæ subducendis insumit.

Num singulæ actiones sint diebus festis licitæ, et quid decernendum de Matthæo?

CASUS TERTIUS.

Villelmus mechanicæ artis peritus majorem diei festi partem impendit in horologia et alia æris et ferri politiora instrumenta elaboranda, non quidem lucri sed animi levandi gratia. Cæcilia vero uxor ejus dolens nihil sibi superesse pecuniæ ad stipem pauperibus largiendam, die festo, muliebris cultus aliqua concinnat ornamenta, ut pecunia inde redacta miseris subveniat. Filius interim auceps non ignobilis reficit retia, laqueos componit, visco virgas intingit, et alia parat ad fraudes avibus instruendas.

Num ullo nomine possit eos Theologus excusare?

CONGR. SEPTIMA

Quæst. 1. *Quantum temporis in operibus servilibus collocati materiam gravem constituat?*

2. *An consuetudo attendi possit aut debeat in definiendo quæ opera sint habenda ceu prohibita?*

3. *An fieri possit dispensatio ab hac lege et a quibus?*

CASUS PRIMUS

Andreas qui omnia studet ad sua commoda contrahere, quum audierit parvam materiam dari posse in operibus servilibus, plures diei festi horas eis tribuit, non quidem continuas sed interruptas; ita ut unaquæque, suo judicio, materiam levem constituat: immo cum operarios sub se habeat, ita rem disponit ut aliis aliis succedentibus totum opus absolvatur una tantum hora a singulis in opere collocata.

Num censendus sit utroque casu graviter peccare?

CASUS SECUNDUS

In parœcia Valerii jamdiu invaluit consuetudo ut nundinæ fiant in die natali Deiparæ; nec non ut proponantur ad vendendum varii generis merces in commodum illorum qui ex dissitis parœciæ finibus

ad Ecclesiam concursant Missam audituri. Insuper in more positum est ut aliqua opera in commune commodum peragantur; puta, ut ligna publici nemoris cædantur, pabula secentur et horum similia. Tandem parochiani illi et in privatum commodum alia festis diebus ex consuetudine faciunt: solent enim castaneas, nuces et fructus in genere colligere, folliculos bombycinos in unum congregare, panicula foliis expoliare, mulieres vero linum lanamque digitis torquere, et alia huiusmodi.

Num hæc omnia tuta conscientia Valerius parochus fieri patiatur?

CASUS TERTIUS

Fabianus confessarius solebat cum pœnitentibus circa opera servilia facile dispensare. Parochus factus vicanis suis faciliorem se præbet; immo quoties ad eum habent recursum, toties, ne obiter quidem causis consideratis, licentiam concedit, timens ne, venia denegata, id quod volunt perficiant. Sed cum non solum privatis, sed toti communitati interdum indulserit, et in quibusdam operibus semel pro semper, incurrit finitimorum parochorum offensionem.

Litem inter eos ortam Theologus componat.

CONGR. OCTAVA

Quest. 1. *Quænam sunt causæ ob quas opera servilia permitti possunt?*

3. *Quae opera in genere permittunt pietas, charitas et necessitas?*

3. *An demum existentia unius vel alterius ex his causis eximat fideles a petenda dispensatione?*

CASUS PRIMUS

Bernardo opus mandatum est certa die finiendum, hac quidem lege ut omnia lucra ipsi pereant, si rem promissam exhibere distulerit, et ut præmium superaddatur opus statuto tempore reddenti. Bernardus præter opinionem opus statuto die absolvere non potest nisi totum diem Dominicum in opus conferat, itaque a Parocho dispensationem precatur.

Quid Parochus? Quid si non de operis et præmii jactura, sed tantummodo de amissu præmii agatur?

CASUS SECUNDUS

Paulus æditnus cum ex stipendio quod percipit minus commode vivat, artem textrinam exercet, in qua integros ferme dies impendit; ita ut plura quæ ad Ecclesiæ curam spectant, vel primis vel tardioribus diei festi horis absolvat. Martha autem uxor ejus solet die festo ad Catharinæ ægrotantis domum accedere, eamque everrere, res lintearias abluere, filiorum vestes reficere; et alia huiusmodi, cum magno amicæ infirmæ solatio, facere. Sed cum aliquando Ecclesia parochialis a latronibus, ne relictis quidem linteis et paramentis, expoliata fuisset, Pauli filiæ, quibusdam piis et valde præstantibus puellis sibi consociatis, in id incubuerunt ut quantocius ex novo linteamina, vestesque ad sacrum usum gratis conficerent, opus non ferialibus tantum sed et festis diebus urgentes.

An hæc talia opera omnia sint laudanda et qua moderatione?

CASUS TERTIUS

Claudius dubitans an bonam causam haberet cuiusdam servilis operis die festo faciundi, illud, non impetrata dispensatione, complevit. Alia vice quum in pari dubio versaretur ad domum canonicam contendit, sed de Parochi absentia edoctus id quod facere jam statuerat; absolvit. Tandem conscientiæ stimulis agitatus nullum opus servile in posterum diebus festis sine dispensatione facere proposuit; adeoque quum repentina inundatio immineret, aggeribus instaurandis navare operam, inconsulto Parocho, recusavit.

Quomodo Claudii agendi ratio in triplici casu æstimanda?

Dono dell'amico Reale Pietro
G. Pantano